



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1655**

§. 249. Et accepto Corpore. v. 60.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

Pilatus reddi corpus Iesu Iosepho, qui non per alium, sed semetipsum curavit deponi, & afflictæ Matri Mariæ restituit corpus filij ut & cum ipsa terræ mandaret. Tantus amor & fervor erat in hoc homine Principe, ut pro charitate Dei & matris eius, non detrectare adire ipsum hominem gentilem Pilatum, & domum eius intrare contra morem Iudæorum, non attendens invidiam & oblocutiones Iudæorum, ex eo quod peteret, imo proprijs manibus deponeret corpus Iesu à Cruce, sed & portaret & sepeliret in proprio sepulchro recenter sibi præparato. Verè justitiam dilexit & æquitatem vidit vultus eius: sciebat namque quanti pretij & dignitatis esset hoc corpus deificatum, & quod per invidiam tradidissent morti contra omnem iustitiam Iudæi, ideoque & ipse cum Christo iusto iustus mori cupiens suscepit hunc amoris divini laborem, & iustitiæ opus contra Iudæorum machinationes & investivas omnes triumphator.

**D**omine Iesu, scio quod maiorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis, vel iustitia. Ecce hic dives & Princeps ex charitate corpus tuum à Cruce deponendi, & sepeliendi honorifice, exponit se periculo mortis & invidiæ Iudæorum, & Principum, & Seniorum ut tibi soli serviat & Matri pro iustitia, da quoque & mihi hanc gratiam ut in omni actione & occasione pro te & tua iustitia ignominiam pati imo mori non recusem.

§. 249. *Et accepto Corpore. v. 60.*

O quanto cum gaudio exultavit, quod dignus fuerit habere hoc sanctum Corpus illud tangere, deponere, reddere, afflictæ Matri, & id honorare & sepelire: Quâ festinatione illud deposuerit, ne per importunam Iudæorum & Principum invidiorum instantiam apud Pilatum sententia mutaretur! ô quot lacrimis amoris lavit hoc corpus Iesu inter deponendum, quot oscula fixerit salvificis illis vulneribus. Certabat in eo luctus & gaudium. Luctus ob crudelitatem exercitam; gaudium ob impetratam potestatem sepeliendi & honorandi corpus Iesu, modico tempore quo ipsum erat mansurum visibiliter in terris. O quot genu flexiones! quot adorationes ab astantibus exhibitas credemus! Quis non flevisset, si Christi matrem vidisset in tanto supplicio acceptantem à Cruce filium!

**O** domine fleam me peccatorè omni momento, fleam te iustum iudicem pro me patientem, Christi matrem fleam contristantem & dolentem, & quod sim causa tantæ crudelitatis.

§. 250. *Ioseph inuolvit illud in sindone munda. v. 59.*

Ioseph cognoscens quantus honor deberetur huic corpori, & quam  
imma-